

DEMONSTRATIO XVII.

Fluida specie graviora descendunt per fluida minus gravia, & hæc in eorum locum rursus succedunt.

*Experimenta.*

1. Vitreus tubulus mercurio repletus in orificio prius obturato immittatur aquæ, postea hoc aperiatur, tunc mercurius celerrime ex tubo in aquam descendit, aqua autem contra cum magna vehementia in tubum ascendit.

2. Ex eodem fundamento pulchro spectaculô visitur liquor cœruleus in tubulo contentus descendere, & ipso momento liquor rubicundus in inferiori vase positus intra & per hunc ascendere nullâ facta colorum confusione.

3. Aqua in tubulo contenta descendit; vinum autem rubrum vel spiritus vini rubedine tinctus in ejus locum ascendit.

4. Ostenditur ex eodem fundamento, quænam aqua altera sit purior, levior, quænam cerevisia tenuior, levior, item quomodo vina vel medicamenta respectu aquæ vel cerevisiæ inter se differant ratione subtilitatis & levitatis.

5. Liquores quatuor diversissimi coloris ita in vitro misceri possunt, ut non invicem confundantur, sed quivis peculiarem suum locum & stationem occupet.

DEMONSTRATIO XVIII.

Nullus motus corporum fit per attractionem, sed omnis pulsione fit, dum unum corpus majori vi instructum alterum minoris resistentiæ & vis impellit.

*Expe-*